

plures rationem distrahebant ab experientia : è quo infausto utriusq; divortio evenit , ut per viginti & amplius secula ad tempus usq; nostrum elapsa , multum quidem loqvacitatis & rixarum haberet philosophia , præcipuè Naturalis , sed perpetuâ sterilitate damnata esset. Quod cum dolerent sagaces ævi nostri genii , viderentq; rationem sine experienciâ , veluti navem sine Rectore , fluctuare , huc illuc agi , & in se ipsâ volvi , experientiam autem , cui ratio non præluceat , vagam itidem esse , & cœcam , nihil utile procreare , stuporem duntaxat , & desperationem parere , idcirco maluerunt utramq; stabili connubio jungere ; & ita in philosophando procedere , ut *examinatis primò rebus cujuspiam effectibus ordinariis , conceptaq; quadam de naturâ ejus ideâ , rationis deinceps ope cognoscatur , si id , quod de ejus naturâ perspectum est , verum sit , necesse esse , ut eâ certò modò dispositâ , novus inde prodeat effectus , opinioni præconceptæ consentaneus : tum demum ad examen probitatis illius ratiociniî , dictâ in re periculum fiat ejus , quod juxta opinionem conceptam potuit ex illâ re ejusmodi effectum elicere.* (11.) Super hac basi fundatur *Ars illa Indiciî , si-ve Directionis* , quæ cæteras artes , earumq; axiomata atq; opera dirigit , detegit , & in conspectum dat. Hujus Ichnographiam aliquam nobis exhibet supra laudatus Verulamius , divisam in duas partes , quarum una , sub *Experientiæ Literatæ* nomine veniens , *defert Indicium ab Experimentis ad Experimenta* , modumq; ipsum (uti loqvuntur) experimentandi docet , qui procedit aut per *variationem* , aut per *productionem* , aut per *translationem* , aut per *compulsionem* , aut per *applicationem* , aut per *copulationem* , aut deniq; per *sortes experimentorum*. Altera verò , *Interpretatio Naturæ* dicta , *omnem experimentorum in axiomata , aut axiomatum in nova vicissim experimenta translationem sibi vendicat.* (12.) Tali arte , talibusq; institutis cum destituti fuerint Antiqui , non adeò mirari debemus , eos in propriis observationibus minùs diligentes , in alienis nimis credulos fuisse ; inventaq; sua pleraq; non tam certo consilio quæsisisse , quàm fortuito casu , &